

M I M

1 6 4 8

~~C. 6. 5~~  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii  
Regii Glauchensi

# ROSÆ,

qvibus

*Admodum Reverendi, Clarissimi THEOLOGI,  
Præstantissimi, Doctissimi, Literatissimi PHILOLOGI*

## BEROLSTADIÆ

ROSÆ FORMOSÆ GOTHOFREDI

*VIRI REVERENDI*

**M. JOHAN. VIEBINGII HABELSCHVER-**

**DA GLACENSIS, antea in Lafanâ verbi divini PRÆCONIS,  
i. t. Illustris Münsterbergici DIDASCALEI EPISTATÆ &  
INSPECTORIS**

**FILIOLI UNICI**

*ANNOS IX. MENS. VII. DIES XXVII. NATI,*

in mediô curriculô humaniorum studiorum accuratâ indefes-  
sâ q; diligentia susceptorum, præmaturô & qvidem acerbissimo fato; sed  
vivificâ *ἁγίου πνεύματος* SPIRITUS SANCTI eximiis *ἰατρουργίαις* declaratâ,  
præsente, admirandâ notabiliq; patientiâ ad extremum usq; vitæ ha-  
litum vigente, THEOLOGO totius Ducatus primario adfistente,

*Annô Christianô MD CXLVI. D. XIX. AUGUST.*

*HOR. XII. MERIDIAN. DENATI*

æternaturam memoriam in ARA PERENNITATIS

*conservare,  
& iisdem*

*pio ritu, & iusto modo*

*PARENTIBUS mæstissimis mærorem acutissimum minuere,  
atq; sincerum christiane συμπαθείας adfectum declarare, quem*

*OLSNÆ SILESIOR.*

JOHANN. SEYFERTUS TYPOCHYTA incude chalcographicâ  
exprimendum curat, conabantur.

entnommen /  
h schon vorbien /  
ste ziehn.  
dencken /  
râncken /  
kam /  
prung nam /  
rger /  
re stergen /  
nd prächt /  
machte.  
een :  
gen zu  
stolzer Kub.  
immel /  
Lust /  
berouft.  
n  
n /  
t /  
fate.  
ren /  
ommen.  
nung für Gott /  
Noch.  
icleiden  
PAR K...  
ngere von ...



*Reverendo, Clarissimo Viro*  
**Dn. M. Joh. Viebingio P. E.**

**h. t. Rectori Olsn. opt. mer. Patri moestissimo,  
Fautori & Amico dilectissimo.**

**I**n Filiis triste est pati charissimis,  
Expertus ipse sum Bohemus acriter,  
Dum pignus, Autor omnium Deus Mibi  
Carum nimis donavit. At Mors invida  
Venit, datum citâ quoq; abstulit Manu.  
Nobis acerbior tamen Parentibus  
Is casus est, quando Unicus mox interit  
Piissimus lectissimusq; Filius;  
Ambobus ut nobis misellis accidit.

Ast quid dolemus Fata Mortis tristia?  
Nos Jura curemus Dei coelestia,  
Sic offerentis, rursus ampla Munera  
Et auferentis, sicuti visum est ei.  
Hic reddet omnibus Suum cum fœnore,  
Quando dies venturus est novissimus.  
Proindè submittamus in timore Nos.  
In Orbe quod fit omne IHOVA perficit;  
Sed cuncta rectè perficit justissimus.  
Hic vult jugo domare collum Conjugum.  
Tandem vices convertet istas largiter;  
Mellis dabit satisq; pro Myrrhâ Deus,  
Cum David & Gottfredus assurgent novi.  
*Συμπάθειας contestandæ gratiâ F.*

*David Bohemus Illustr. Aule Monst.*

*à Sac. Conc. Pastor Bernstadiensis, Consisto-  
rii Olsn. Ducalis Adseffor, Presbyt. Sen.*

---

Ut

Ut Rex in terris parvos magnosq; Ministros:  
Sic habet in caelis magna, minora, Deus;  
Ut cum Coelitibus vivant celebrentq; JEHOVAM;  
Atq; ILLI grates voce sonante canant.  
Quis non optaret felicem pectore sortem;  
Pro terrâ caelum júbila pro lacrimis?  
Felix, qui liber Mundi Martisq; periclis  
In caelo Dominum laudat amatq; BONUM!  
Cum PATER amittit Natum, flet, nuncius adfert,  
FILIUS ecce tuus REGIS in Arce viget;  
Protinus exclamat *Natum* desidero, *Natum*  
Opto, revixit, ait, Spiritus eja meus;  
Non moriar donec vivum conspexero *Natum*;  
Surgit & ad Natum pervenit IPSE SENEX;  
Irruit in collum *Nati*; mox oscula figit;  
Pallentes lacrumis irrigat atq; genas;  
Nunc moriar latus, placidam nunc ex peto mortem;  
Aspexi vultum dum pie Nate tuum.  
Sed cur ista cano? PATER ô moestissime luctum  
Jam moderare tuum, gaudia viva cape,  
FILIUS ecce tuus vivit GODOFREDUS in *Aulâ*  
Æterni REGIS, dulce melisma canit.  
Parvus erat mundo, Parvus delectat JÖVAM!  
Cum parvis magnos diligit IPSE DEUS.  
Hic sparsit lacrymas morborum tormine fessus;  
In caelo exultat, tristia nulla videt.  
In Ludô didicit; jam magnus Doctor Olympi;  
AULAM pro CAULA nunc habet, atq; tenet.  
In LUDO dixit, LOGICAM, quô PRÆSIDE discam  
Artem subtilem, post tua fata Pater?  
Ast LOGON æternum semper nunc audit amatq;:  
Non opus innumeris invigilare logis.  
Vive PARENS, vivit charus quia Natus in Arce  
Excelsi Regis, qui regit astra, Tuus.

Non obiit PUER: ast abiit. Nos ritè sequemur,  
Cum fuerit visum, CHRISTE benigne, TIBI.  
Tunc citò concipies formosò schemate Natum;  
Et dices, *vivit FILIUS* IPSE meus.  
Undè cadent lacrymæ, gemitus, mœrorq; recedet;  
Nec LIBITINA tuam lædet avara Domum.  
Hæc Tibi, Pastor Amice, malagmata mittere conor;  
Hæc fatis adflicto sit PANACEA PATRI.  
In rebus mœstis, profunt solatia mœstis,  
Accipe solamen! Vive valeq; diu!

*animi condolentis argumentum hoc brevis.*

*Epigrammatico dolenti Parenti dabat*

Bartholom. Hilscherus Diaconus  
Ecclesiæ Berolstadiensis.

---

## Gotfrid Viebingiuss,

*per Anagramma:*

### Dignus bis virgo fit.


Virgo terrestris pia, siq; pudica & honesta,  
sobria, si humana, ac ingeniosa fiet,  
corpore siq; decora nitet; ne talis amatur?  
Et meritò. JHOVÆ munera non quis amet?  
Majori digna est virgo cœlestis amore,  
à Sponsò Christo Sponsa adamata polo;  
quæ Sanctam Triadem spectat, pia, sanctaq; clara  
eternum gaudens & BONA cuncta tenet.  
Filius ecce tuus, Sophiæ præclare Magister,  
Dignus bis virgo fit, Gothofredus Amor.  
Idem quapropter gemino per dignus amore,  
quò non frustrabis filiolum alme Pater.

Virgo



Virgo fuit terris, dictis virtutibus ingens;  
 Sed nunc cœlestis Virgo, beata, cluit.  
 Sponsa suò à Sponsò Christo ditata Coronâ  
 virtutum, quam non auferet ulla dies.  
 Ergo, Pater, curas nimias & siste perennes,  
 Invidus his Sobolis ne videare Bonis.

Seqvuntur in amorem Adolescentuli Defuncti,  
 & gratiam Dn. Parentis addita alia genera carminum.

<p>1.          Gotfrid en cubat hic PUELLUS, &amp;          suo PATRI tenellus.</p> <p>2. GOTTFRID en VIBINGUS          Hic latet Puellus,          Doctus &amp; tenellus          FILIUS patrisans</p>		<p>3.          Collis Heliconii          Olsnei regitor Pater          Desles funera FILII          Absit attamen ô dolor          Grandis, &amp; nimius procul!</p>
---	---	--

4. Vibingius sepultus est marmore sub eò  
 Elegans PUER, magis doctus, ut & pius aliis.  
 Repletus est eò mœstitiâ PATER habilis.

5. GOTTFRID en VIEBINGUS cubat hoc PUER  
 Sub saxò, PATRE persollicitò PIO.

<p>6. Hic GOTHOFREDUS          Ingeniosus,          Spesq; PARENTIS          FILIUS iste          Post pia fata          Ergo juventa          Parcere Nobis.</p>	<p>Subjacet intus          Et speciosus          Optima docti.          Tempore vitæ          Sæva reliquit          Fidere noli.          O trabe post TE</p>	<p>Nomine VIEBING          Ore PUELLUS,          Pallados artes          Sedulus urfit.          Vulnera PATRI.          Nescia mors est          Christe fideles!</p>
---	--	--

7. En VIBINGIUS hic accubat oris GOTHOFREDULUS.  
 Justis ast animâ cum GENIIS æthereis volat,  
 Insons, sedibus in latiferis, fulgidus & pius!

8. GOTHOFREDULUS en latitat PUER hoc  
 Marmore frigidò pertener, habilis,  
 Literati FILIOLUS PATRIS hic.

onus

ergo



9. **GOTTFRID VIEBINGUS latitat PUER tenellus**  
*Saxò frigidò ; sed PATRE tristiter gerente*  
*Se ob Filiolum pertenerum, doctum, habilem cum Suis.*
10. **GOTHOFREDUS VIEBINGUS latet hocce**  
*Lapide amplò, requiescit satis altà*  
*Geniorum ac anima latitià benevolente!*
11. **Conditur hoc Tumulò GOTHOFREDULUS en PUER tenellus.**  
*Sic nulla mortis vim vitabit Ætas.*
12. **VIEBINGUS hic PUER**  
*Humatus est sub hocce saxulo.*
13. **Sapphicò dignus PUER HIC tenellus,**  
*Tiro qui nuper fuit in Poesi.*  
*Doctior cunctis super astra vectus*  
*Nuncnè Poëta?*

## ETEOSTICHA.

1. **Ter senI soLes AVgVsto ablère, Vt & VnVs**  
*GottfrID VibIngVs nostrà qVo Morte obIt OLSnà.*
2. **GottfrID VibIngIVs CVbat sVb hoC saXo,**  
*CbarVs, pIVsqVe fILIoLVs VlrI DoCtI,*  
*qVI OLSnà anXIIIs operIs regIt probos!*
3. **VnDeVigesIMO VibIngIVs pVer**  
*SeXtILIs OLSnà nostrà obIt tristI Patre!*
4. **GottfrID en pVer hIC VibIngIAnVs**  
*MortIs non potVIt fVgIsse Vires.*  
*AsI nostro rapItVr PatrI probato.*

Viro doctissimo, mihiq; dilectissimo, Amico  
 colendo, Fautori honoro, moestissimo Dn.  
 Parentipie defuncti Filioli hæc pauca con-  
 dolentiæ & consolationis ergo addere debuit

**M. CASPAR. Newhold**  
 Diaconus Eccl. Bernstadiensis.



1.

Ut pereunt viridis pulcherrima lilia campi :  
Flore puellari sic GODOFREDE peris.  
In bellum puerum Mors spicula tendit, & arcum :  
Dum ferit, haut puerum; sed ferit illa senem.  
In Te VIEBINGI committitur improbus error :  
Et Patris & Matris nobile delitium.  
*Annos si numero, puerum te Morta peremit :*  
*Si ingenium, doleo te periisse senem.*

2.

Quod spectas Saxum, *pueri* tegit ossa VibingI  
Puri, quam sciti! quam lepidi *pueri*!  
Omnis in hoc stabat venerandi cura *Parentis*,  
Ex oculis subito quem Libitina rapit.  
Tam cito cur? Veterum norunt oracula, si quem  
Jova in delitiis servat, obit juvenis.

3.

Ducimus inferias ViebingI prolis, & urnæ  
Miscemus flores, *coryciumq; crocum.*  
*Unus* eras *Natus*, GODOFREDE, ac unice amatus :  
Pallida sed Te Mors sub sua jura rapit.  
Sed bene habet! Domitæ superasti flumina Lethes:  
Spiritus in roseo vivit ovatoq; polo.  
Uranimas poteras curas lenire Parenti;  
Nunc palpo ingenuo, nuncq; lepore novo.  
*Ignis* ut *vigor* in Te: sic fuit *enthus* ardor.  
*Ætas non durat precocis ingenii.*  
Præclaræ Tu signa dabas, GODOFREDULE, frugis:  
Ast Te falce ferox Parca tagace metit.  
Incluta per clari vestigia Patris iturus  
Quondam: at Te puerum Mors rapit ante diem.  
Quam raro in mundo, quæ sunt sublimia, durant:  
Quæ meliora, cadunt: deteriora vigent.

4. Sed

cum suis.

tenellus.

fnâ.

imo, Amico  
tissimo Du.  
pauca con-  
ddere debuit  
Nerthold  
nsadiensis.

1. Ut

Sed Tibi, chare Parens placeat fac *Velle* Jehovah,  
Concessit quondam: quod capit, ergo *Suum* est.

4.

Viebingi, *Eusebies*, *Sophies* & amabile' pectus:  
Egregiè docti pulchra corona Viri,  
Dum Tibi cordicremo defletur *Pusio* lesu;  
Delitias lepidas, qui dabat, atq; jocos;  
Hei mihi, quàm duro miserum cor vapulat æstu;  
*Matris* ut & *Patris* pectora mœror habet!  
Sed Tu mœste *Parens* nimium compesce dolorem.  
Est nobis Cœlum Patria; terra vale.  
Reliquit terram Gnatus, via lactea Divis  
Miscuit hunc, lætus lusitat ante Deum.  
Permutasse licet *Nobis* infausta beatis:  
Hic nempe est veri finis apexq; boni.

Ἐμῦνδιων ἀντεcedentium ἐμσάγματῶν.

1.

In quò sperabas, jacet hac, **GODOFREDULUS**, *Urnâ*;  
Dic ubi nunc possis spem posuisse Pater?  
*Spes* perit in terris; sperando respice cœlum;  
*Spem* firmam si vis figere, fige Deo.

2.

Viebingus Tumulo recubat **GODOFREDUS** in isto:  
*Spem* Parcæ tristis cur rapuere Patris?  
Ut puero ante diem venit sapientia, & acre  
*Ingenium*; moritur sic puer ante diem.

3.

Conditur hoc Tumulo chari Patris unica proles  
**GODOFREDUS**, lepidò qui fuit ingenio.  
*Olsnenses* Pueri lachrymis rorate sepulchrum;  
Ut Condiscipulo terra sit ipsa levis.

4.

*Ingenium*, virtus, pietas, atq; indolis ardor,  
Si possent tristis sistere mortis opus:

Contra



*Contra spem Patris, non hic Godofrede jaceres,  
Parve puer, citò qui tormine ventris obis.  
Esto memor fati. Mortem meditare Viator,  
Tam subiti casus, qui legis, esto memor!  
Mors, qua cuncta rapit, non evitabilis ulli;  
Qui est hodie suus, Is cras meus, inquit, erit.*

5.

*Qui modò splendebat Godofredus, lampadis instar;  
Hei mihi! quàm exiguo tempore fumus abit.  
Vita Hominis flamma similis morientis, & umbra:  
Extingvunt vita lampada fata tua.  
Sic Rosa manè viget, qua paucis deficit horis:  
Sic cinis est hodie, qui fuit ignis heri.  
O spes fallaces, vanos Hominumq; labores!  
Omnia Mors abolet, nilq; perenne manet.  
Disce mori. Mentem Superis da, cetera terris,  
Ipse puer parvus dum moriebar, eram.  
Disce mori, nec te ludat spes vana juventa:  
Extremum statuent nam tibi fata diem.*

6

*Siste gradum. Facet hâc Viebingi sanguine creta  
Proles, qua terra mortua, viva polo.  
Immatura nimis cur Mors hanc abstulit? Vnus  
Ut Patris fieres, unice Gnate, dolor.  
Sed venerande Parens, nimium compesce dolorem:  
Ne invidetas Nato, regna beata, tuo.  
Est requies illi cum CHRISTO in Sede piorum:  
Cum superis cujus mens sedet ante Deum.  
Ipse quod es, fuit Is, fuit & quod, Tu quoq; fies.  
Jam certè melior sors sua sorte tuâ.*

7.

*Munia cui vite rapuerunt Tormina ventris;  
Hac sua VIEBINGUS membra reliquit humo.*

B

Spes

*Spes erat ingenii magni, virtutis & alma:  
Has dolet ingenii spes periisse, Pater.  
Huic mæsti lachrymas, & odoros spargite flores.  
Flos modò qui ingenii nobilioris erat.*

8.

*Cum Puerum studiis intentum Morta videret;  
Et sua mandaret castra Minerva sequi;  
Invidit Libitina, manu qua stamina rumpit;  
Atq; jubeat Puerum mox sua castra sequi;  
Fit more hoc solito: diri inclementia fati,  
Dulcia qua Nobis, sub sua jura rapit.  
Tu desiderium Matris, spes una Parentis,  
Extinctus nimium flendus utriq; jaces.  
Mortali optasset Tecum PATER OPTIMUS unà  
Carcere ad athereas ipse redire Domos;  
Sed cum non possit, marenti mente superstes,  
Filioli chari, tempus in omne memor:  
Hunc Cippum posuit, morientem flevit, acerbum  
Vulnus adhuc animo nocte dieq; gerit.*

9.

*Accipe, mi Fili, Genitor qua munera trado;  
Munera, qua cineri sint bene grata tuo.  
Ipse dedi vita lucem, nunc mortis honores  
Do, quos debebas tu tribuisse mihi.  
Debebas Tumulum fesso Mibi Nate Parenti;  
Officium hoc vertit jam tibi rapta dies.  
Ante tui nostros oculos versatur imago:  
Quam mors non unquam tollet avara mihi.  
Blandidulus, nitidus, dulcissimus, unicus, eheu  
Morte cadis Matris, delictumq; Patris!  
Vivus Ego Genitor poteram post funera dici,  
Servassent Natum si mihi fata meum.*

10.

*Parce precor Genitor tristes effundere questus.  
Turbantur lacrymis gaudia nostra tuis.*

Parce

*Parce precor tristi mea nec geme funera luctu:*

*Non erat in fatis longior hora meis.*

*Immaturus obI, sed tu diuturnior esto.*

*Nemo suum tenuis fit cinis, ante diem.*

συμπάκωντος καὶ παραμυθησομένου ὀλοκαρδίας

CASPARIS STEINBERGERI

Scholæ Illustr. Bernst. Rectoris.

**S** flissen noch die Threnen/  
Und hat das bittere Sehne  
Herr Diebing keine Maß  
Im Väterlichen Herzen /  
Sindt für betrubtem Schmergen  
Die Augen Euch noch naß /  
Weil ewre letzte Freude  
Der Augen Lust vnd weide /  
Des Alters trost vnd stab /  
Die Hoffnung gutter Sitten  
Vom tode überstritten  
Geleget wird ins Grab?  
Bey seinen lebens tagen  
Hört man Euch Vater sagen /  
Nun Ihr entkindert seit /  
So mehret Euch die Sorgen  
Von Abend bis an Morgen /  
Diß hochbetrubte Leid.  
Zwar muß es freilich Schmergen /  
Und dringen zu dem Herzen /  
Wan auff der Bahre steht  
Das Söhnlein vnd der Same  
Dadurch Geschlecht vnd Nahme  
Erstirbt / vnd vntergeht.

Das Söhnlein das zur Jugend  
Bald in der zarten Jugend  
Von Eltern angeleit;  
Fürn Höchsten ist getreten  
Mit Lobgesang vnd beten  
Bey früh vnd Abents Zeit  
Der embstg im studiren  
Den fleiß von sich liß spüren /  
Und dehme eine Lust /  
Was Maro auff der flöten  
Der Printz dapffer Pöeten  
Gespielet / vnd gewust.  
Was Cicero geschrieben /  
Daf war sein thun und üben /  
Im reden allermeist /  
Er hat bey seinem Leben  
Diß wollen nicht begeben  
Bis von ihm scheid der Geist.  
Wie grüner Saate Prangen  
Dem Ackersman verlangen  
Und gute hoffnung macht:  
So könt man künfftiges wesen  
An ewrem Söhnlein lesen  
In seiner Jugend Pracht.

B ij

Und

PAPU

Vnd wan ich gleich viel sage /  
So dint es euch zur klage /  
Vnd heisset nur : Er war.  
Ihr würdet lieber lesen  
Er ist ; als sein gewesen  
Noch bey der Menschen Schar.  
Doch mässiget diß klagen /  
Ihr könnet nicht abjagen  
Dem Tode seinen Raub ;  
Der Menschen würgt / vñ schlachtet /  
Vnd keiner Seuffzer achtet /  
Weil er an Ohren taub.  
Legt ab die Vaters Sinnen /  
Last nicht mehr Threnen rinnen /  
Zieht Christen Sinnen an ;  
Wer allzuviel die Seinen  
Auff Heidnisch viel beweinen  
Der thut nicht weißlich dran.  
Wie manchen bösen Kindern /  
So fast gleich sein den Kindern  
An Bosheit / Vnderstand /  
Verlängert Gott die Tage  
Den Sterblichen zur plage  
Vnd Jammer angewand.  
Hergegen Frome werden  
Entrissen von der Erden /  
Damit ihr Sinn vnd Geist

Von Lastern vnbeslecket Sap. c.4.  
Nicht werde angestecket /  
Zur Bosheit angeweißt.  
Beklagt ihr seine Gaben ?  
Denckt Gott viel solche haben  
In seinem Himmel-sahl.  
Drumb auch im besten blühen /  
Hat Er Ihn heissen ziehen  
Auff diesem Threnen-Thal.  
Scheint Er zu früh' entnommen ?  
Wer ist zu frühe kommen  
Zur Außerwehleten Schar ?  
Auff Erden lange leben /  
Heist stündlich sein vmbgeben  
Mit Angst / noth vnd gefahr.  
Solt er hier Weißheit lernen ?  
Dort bey den goldnen Sternen  
Ist ware wissenschaft :  
Da wird er nun gelehret /  
Was kein Ohr hat gehört  
Von Gottes weiser Krafft.  
Betravort Ihr Euren Erben ?  
Vnd daß durch dessen sterben  
Zugleich der Nahme stirbt.  
Herr Viebing erore Schriefften /  
Die werden euch hier stießten  
Ein Lob das nicht verdirbt.

Viro Reverendo, Clariss. Doctiss. Dn. M. Johann. Vie-  
bingio, Fautori & Amico ætatem colendo, unicum,  
eumq; lectissimi ingenii Filiolum, paternarum virtutum  
Heredem, acerbissimè lugenti, affectum *συνταξίας*  
contestaturus scrib. Berolstadiæ

HEINRICUS Groer.

VALE-

VALEDICTORIA  
apostrophe FILIOLI placidissimè

DENATI ad trissimum & largissimas lacrimas profundentem DN. PARENTEM A. O. R. 1646. horâ 3. nocturna die 16. Augusti anxii & angusti, minimè tunc augusti, instituta.

**C**hære PARENS moriar. Fomentis membra fovere  
Est vanum. *Vanum quod tua vota movent.*  
*Æternam fessus PATRIAM desidero morbo;*  
*Hic MIHI NULLA DOMUS; sed DOLOR ATQVE LABOR.*  
*Ergò rogo dicas MIHI quot sint amplius HORÆ*  
*VIVENDÆ Tecum culmine sub SCHOLICO?*  
*Vellem, si possem, TECUM SEX vivere MENSES:*  
*Nulla sed en possum SCRIPTA parare PATER.*  
*Ergonè VIS MECUM MUNDO discedere, junctus*  
*EXTREMÆ MIHI SIS, nunc comes IPSE VIÆ!*  
*Docte PUER mæsto volvebas talia corde*  
*Ante OBITUM ductu Numinis atherci.*  
*Nunc Patriæ supera possessio parta, LABORES*  
*Omnes sublatis, TORMINA nulla premunt.*  
*Nunc paucos Menses non vives; SÆCULA habebis*  
*In cælo, Æternum quæ sine fine vigent.*  
*Nunc TIBI formandum NIHIL est. Perfectus in omni*  
*Angelicis mistus cœtibus arte viges.*  
*Nunc SOCII Tibi sunt PATRES, veteresq; Propheta,*  
*Et qui Martyrio digna brabæa gerunt.*  
*Eja age delicias PARADISI percipe FILI*  
*Chære tuo PATRI; sed mage care DEO.*  
*O TE felicem, cui mitia Numina donant*  
*Pro bello PACEM, gaudia pro lacrumis.*  
*Hac meminisse decet tremulâ Te mente PARENTEM;*  
*Et patienter onus ferre volente DEO.*

erlecket Sap. c. 4.  
erlecket /  
ungeweist.  
Gaben?  
solche haben  
mel-sahl.  
esten blühen/  
en ziehen  
renen-Zhal.  
h' entnommen?  
ommen  
ten Schaf?  
ge leben/  
in umgeben  
oth und gefahr.  
heit lernen?  
nen Sternen  
schafft:  
lehret/  
gehört  
iser Kraft.  
en Erben?  
en sterben  
hine stirbt.  
Schwieffen/  
r stieffen  
t verdiebt.  
Johann. Vie-  
do, unicum,  
rum virtutum  
n opus ad  
Groer.  
VALE-

*Non etenim rectum flectes, quod Praeses Olympi  
Effecit curvum pro bonitate potens.*

*Quod placuit DOMINO, placeat Tibi tempore duro;  
Molliat Is crudum vulnus AMICE tuum.*

*Illam dies veniat TIBI quae jungatur Olympo  
Schemate GOTFREDUS candidiore rosis.*

Ultimi honoris & amoris testandi causa Aram  
hanc memorialem ingeniosissimo Adolescen-  
tulo Viebingio ad omnia summanato nisi ad  
illa verè summa ( contra omnium bonorum  
spem ) pervenisset, ponendam duxit Amicus  
paternus complures per annos

*ELIAS HEUMANNUS Chori  
illustris Musici Bernstadia Praefectus  
& Collega Scholae illustris.*

---

**O**mnis homo natus mortali sanguine tandem  
Cogitur immitis mortis adire viam,  
Mors tollit Pueros vernantes flore juventæ;  
Non parcit lasso trux LIBITINA Seni.  
Sunt velut umbra dies nostri, ceu ventus, & aura;  
Mox homo vivus adest; mox cita fata subit.  
Sic nihil est constans, tantum (quod novimus Omnes)  
Vivitur ingenio cætera mortis erunt.  
Esto! Sed hoc certum, longam quod inutile pondus  
Vivendo vitam scandala crassa paret.  
Quot PESTES nimium torserunt corda Parentum?  
Quot frustra frugum munera dente terunt?  
Infelix LOLIUM, steriles dominantur avenæ;  
Stemmatis antiqui CARDUUS ulcus adest,  
VRTICÆ, spinis mistus PALIURUS acutis  
Sæpe PATRI canos, tristia fata parat.

O mors



O Mors accelera! Terris avertito CORVOS,  
Tuta COLUMBA volet, retia tensa cadant!  
Sed VIEBINGE metrô PATREM Te canto beatum  
Non putres VOMICAS fata dedere TIBI;  
Sed GNATUM lingvæ Romanæ dote vigentem;  
Ingenio promptum; moribus ingenuum.  
Irrisit fastum Mundi fallacis, & artes  
FUCORUM, cecinit MUNDE MALIGNE VALE,  
AUXILIUM NULLUM mihi notum, dixit, AMICI;  
*Est omne auxilium desuper ergo meum.*  
O fidei quantos fructus ostendit in HORA,  
Qvâ linquenda fuit Vita, Cubile, Domus!  
Non mihi grata Domus, PATRIAM desidero, mœstus  
Ut TURTUR gemuit mente vigente PUER; (*A. C. 1646. Die*  
*Adjecit dictis, VIS MECUM EXCEDERE TERRIS 16. August. hor. 3.*  
*CHARE PATER? Comitem TE mihi junge vix; matutinâ.)*  
Non EGO formabo posthac mea pensâ LABORIS; [*Die 18 Aug. hor.*  
*Non potero nostræ tecta subire SCHOLÆ. 2. vespertin.]*  
Sic GODOFREDUS eras! Tantum TE FATA PARENTI  
Ostendere Tuo. Nunc tua dona jacent.  
Ut ROSA florebas discens præclara ROSARUM [*A. C. 1646. Mens.*  
*Puncta, ROSA ut vernans, nunc cadis ante diem. Junio.]*  
Hinc PATREM cordis vulnus consumere tentat;  
Extincto GNATO gaudia nulla placent.  
Sed confide PARENS! Fiunt hæc omnia FATO  
Lex divina valet, nascimur, & morimur.  
Tu varios casus, Tu tot discrimina rerum  
Ferre tenes, præsens fer patienter onus.  
Sed quorsum? Mitto solamina. Pastor es. Ægris  
Qvoad solamen, sit medicina potens.  
Non Miles Gnatum; celsi sed Rector Olympi  
Abstulit, Is supera reddet in Arce poli.

Ut

causâ Aram  
Adolescen-  
nato nisi ad  
m bonorum  
uxit Amicus

us Chori  
ie Praefectus  
stris.

es)

is

O mors



Ut DOMINO placuit; sic factum. Frangere NEMO  
Decretum poterit, quod Deus IPSE facit.

*Mœstissimo Parentum Pari solatii ergo panxit  
& complanxit Vicinus flens cum flentibus*

SAMUEL KORENIUS Scholæ  
illustris Bernstadiensis Collegæ.

---

**Q**uid defles? Dic quid defles COGNATE VIBINGI?  
*An fles, quod GNATUM sustulit atra dies?*  
Ne fle! Nam spectat celsissima NUMINA cœli  
*FILIUS, Ille DEO carmina leta canit.*  
Præclarum spectat clarò de LUMINE LUMEN  
*CHRISTUM, qui purâ Virgine natus HOMO.*  
Spectat formosos stellatâ veste Ministros,  
*Cum quibus aternâ jubila voce canit.*  
Sæpius hic cecinit jucunda ubi gaudia? Nusquam  
Plura vigent nisi UBI cantica PURA sonant  
Agmina fidereâ REGIS cœlestis in AULA;  
*EJA DEUS POST TE ME TRAHE ad ISTA potens!*  
Ergo habet, optavit quod latò pectore, CHRISTE  
*NATALEM novit quando redire tuum.*  
Curia supremi REGIS scandenda, videbis  
*Adjunctum GNATUM cœtibus Angelicis.*  
Non opus hîc LOGICA multò sudore parandâ:  
*Non livor tanget corda tenella CACI.*  
His animum muni depressum luctibus amplis;  
*Mœrores remove, VIR REVERENDE, tuos.*  
Mœroris testandi ergo hæc lugubria adjicere, & iisdem  
tanquam ultimis officiolis suum desideratissimum  
COGNATUM prosequi voluit Breslæ

JOHAN. HEINRICUS MOSER  
*educatione Berolstadiensis, ortu verò  
MORAVUS d. Rômerstadt.*

F I N I S.

Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano  
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij  
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quò Deus Autor,  
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus  
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

**SPIRITUS** Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

**BAPTISTAM** ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

**GEBELI!** vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quæis sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene serò) tuis,

Cum tuba te rupta tumbâ revocabit ab umbris,

**IOVA**, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosiâ rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

**JANE** mihi multo n nomine charè! **VACE.**

ULB Halle


3

002 062 674





164



B.I.G.

Farbkarte #13



OSÆ,  
 quibus  
 li, *Clarissimi THEOLOGI,*  
 ssi, *Literatissimi PHILOLOGI*  
 LSTADIÆ  
 OSÆ GOTHOFREDI  
 REVERENDI  
 BINGII HABELSCHVER-  
 in Lasanâ verbi divini PRÆCONIS,  
 ici DIDASCALEI EPISTATÆ &  
 INSPECTORIS  
 OLI UNICI  
 S. VII. DIES XXVII. NATI,  
 niorum studiorum accuratâ indefes-  
 ræmaturô & quidem acerbissimo fato; sed  
 S SANCTI eximiis *sempiternis* declaratâ,  
 liq; patientiâ ad extremum usq; vitæ ha-  
 go totius Ducatus primario adsistente,  
 IS CXLVI. D. XIX. AUGUST.  
 MERIDIAN. DENATI  
 riam in ARA PERENNITATIS  
 conservare,  
 & *iisdem*  
 ritu, & justo modo  
 is mœrorem acutissimum minuere,  
*συνπαθείας* adfectum declarare, quem  
 NÆ SILESIOR.  
 S TYPOCHYTA incude chalcographicâ  
 dum curat, conabantur.

